

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica I. adventus

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA I. ADVENTUS.

Evangelium Matth. 21. v. 1-9.

EXORDIUM.

DE Mannâ, sive cibo cœlesti, quo Deus in deserto populum suum per quadraginta annos sustentavit, memoratur, quod omne delectamentum in se habuerit, & omnis saporis suavitatem, deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur, Sap. 16. v. 20.

Hæc mysticè interpretari possumus.

Verbum Dei vera Manna sive panis cœlestis est, quo in eremo hujus mundi nutri- mur, & ad vitam æternam conservamur. Non enim solo pane vivit homo, Matth. 4. v. 4.

Israëlitis Manna colligenda, mola fran- genda, sive in mortario terenda & in ollâ coquenda fuit, si illâ frui voluerint, Num. 11. v. 7. Ita & verbum Dei nullam utilita- tatem adfert, nisi in Ecclesiâ cum devo- tione audiatur, domi accuratè legatur, & per quotidianam meditationem, in molâ & mortario cordis nostri, ad cujusque pa- latum & indigentiam quasi comminuat & præparetur. Apud illos enim demùm semen verbi Divini bonam terram inve- nit, qui illud in corde bono & sincero au-

diunt, & fructum ferunt in patientiâ, Luc. 8. v. 15.

Veluti autem Manna illa uniuscujusque voluntati deserviens, ad quod ille volebat, convertebatur: ita non minus id de pane spirituali, verbo Dei adseverare possumus: Utile enim est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitiâ: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, 2. Tim. 3. v. 16. 17. Ne- mo non lectionem suam ibi invenit, sive sit senex, sive juvenis, vir aut fœmina, dives aut pauper: modò *experiens Coquus* adsit, qui rectè secet verbum veritatis, 2. Tim. 2. v. 15. & è Thesaurò cordis sui vetera & no- va proferat, Matt. 13. v. 12. sunt hæc varia Spiritus sancti charismata, quibus Deus verbi præcones instruit, ut panem cœle- stem coquant, prout illum Auditoribus suis ad emendationem inservire deprehen- derint, omnia namque *πρὸς τὸ συμφέρον* tendunt, 1. Cor. 2. v. 7.

Postquam igitur Explicationem Evan- geliorum gratia DEI hæctenus ad finem perduximus: Nunc bono cum DEO Mannam spiritualem aliâ ratione cocturi su- mus. Et quia plurimùm nostra interest, ut primò

Dominica I. Adventus.

3

primò *miseriam* nostram agnoscamus, in quam per tristem Protoplastorum lapsum præcipitati sumus. Deinde quam consolationem adhibere debeamus. Et tertio, in piè vivendo, patienter ferendo, beateque moriendo officium nostrum observemus: Ita Meditationes nostras sic instituemus, ut ex Evangeliiis Dominicalibus discamus:

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Regnum meum non est de hoc mundo, ait Servator noster piensissimus, Joh. 18. v. 3. Id statim in ipsa ejus nativitate apparuit, ubi in stabulo & præsepio quievit, quia non erat locus in diversorio, Luc. 2. v. 7. Maximè verò patuit id in ingressu Hierosolymitano, ubi venit tanquam Rex filia Sion, adeò pauper tamen, ut asino mutuo incesserit, ut Evangelium prælestum innuit.

Querela respicit

I. *Discipulorum ablegationem.* Qualis enim Rex est, tales & Legati. Quando aliàs Magnates terreni legationem ablegant, non viles & plebejos adhibent: sed subjecta præcellentissima & experientissima, quò rebus obeundis pares sint, eaque in gratiam Dominorum & emolumentum subditorum cedant.

Verum Rex Regum & Dominus Dominantium, ecce! per pedes ingreditur, & equitaturus, duos Discipulorum mittit in Castellum, è regione Hierosolymorum situm, ut inde sibi asinum mutuo sumant,

His Legatis utebatur, cum Regium suum ingressum celebraturus esset.

Quinam illi fuerint, non indicatur. Verosimile autem est, quemadmodum Marcus indeterminatè scribit, duos ipsum discipulos misisse, ut ipsi agnum Paschalem apparerent, Marc. 14. v. 13. quos Lucas nominatenus exprimit, nempe, Petrum & Johannem, c. 22. v. 8. Ita quoque eosdem ad hanc functionem adhibuisse, quia illos præ aliis sibi commendatos habuit. Quicquid hujus sit, certum prorsus est, fuisse eos viles & simplices, quos à piscaturâ ad Apostolatam evectos in id elegerat, ut essent sibi testes in Hierusalem, & in omni Judæâ & Samariâ, usque ad ultimum terræ, Act. 1. v. 8. Propterea quoque Judæis parum acceptus fuit, qui libentius ejusmodi Regem habuissent, qui superbienti caballo vectus, Hierosolymam auro & argento, velut Salomo olim, implevisset, 1. Reg. 10. v. 27. Ideò clamant ibi: Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14.

Equidem in oculis mundanis vilissimum videtur, illum ipsum, quem Deus in V. T. tam magnificè ostentavit, quod Tribus Jacob suscitare, & desolationes Israël convertere debeat, Esa. 49. v. 6. Jer. 33. v. 15. 16. quemque sancti Patriarchæ tam anxio desiderio expectarunt, Hebr. 11. v. 13. quemq; sanctissimi Vates populo Dei per tot secula promiserunt, dum de futura gratiâ prophetarunt, 1. Petr. 1. 10, adeò pauperculum ingredi & homunculis plebejis iisque simplicioribus, Regnum suum adornare. Verùm quando qualitatem hujus Regni inspicimus, quod nimirum non terrenum, terrenâ pompa splendidum, velut Salomonis, 1. Reg. 10. v. 4. sed spirituale regnum

regnum sit, quod non venit cum observa-
tione, Luc. 17. v. 20. sed in ostensione spi-
ritus & virtutis consistit, 1. Cor. 2. v. 4. cu-
jus Symbolum: Virtus mea in infirmi-
tate perficitur, 1. Cor. 12. v. 9. non est,
quod magnoperè miremur.

Id semper in familiari usu Deus habuit,
quod per vilia & despecta media res ma-
ximas in Ecclesia gesserit.

Quis Moses, Exod. 3. seqq. Gideon, Jud.
6. u. David, 1. Sam. 17. v. 30. seqq. Beata
Maria, Luc. 1. v. 48. fuerunt? & tamen
Numen divinum per illos redemptionem
populi sui corporalem, per hanc verò spi-
ritualem, puerperam Messiae eam consti-
tuendo, procuravit.

Pari modo Servatori nostro visum fuit,
vilibus & simplicibus piscatoribus Apo-
stolatus munus instruere, & è medio illo-
rum duos ablegare, ad Regium suum in-
gressum apparandum. Non multi sapi-
entes secundum carnem, ait Paulus, 1. Cor.
1. v. 26. Ratio est, quia ille soli sibi hono-
rem vindicat, ut si utile quid per vilia ejus-
modi organa efficiatur, quilibet opus ejus
annunciare cogatur, Psal. 64. 10. Hinc ite-
rum Paulus: Habemus thesaurum istum
in vasis fictilibus &c. 2. Cor. 4. v. 7.

Videamus, ne forte offendamur, sed
potius ex hoc ipso agnoscamus Servatoris
nostri maximam virtutem & potentiam,
qui forti armato, per viles, plebejos & sim-
plices hujusmodi homines maximum
damnum infert, sibi què ex ore infantium
& lactentium robur perficit, Psal. 8. v. 3.

Quotiescunque igitur adhuc hodie
Servator optimus discipulos suos ad nos
ablegat ut asinam solvant, h. e. à Diaboli la-
queis, à quo captivi tenemur ad ejus vo-

luntatem, nos liberent, 2. Tim. 2. v. ult.
Spiritu sancto ne resistamus, velut Judæi,
Actor. 7. 51. sed ad exemplum asinæ hu-
jus, nos haud invitè solvi, Christoque ad-
duci patiamur, qui hâc ipsa ex causa in
mundum venit, *ἵνα λύσῃ* ut dissolvat ope-
ra Diaboli, 1. Joh. 3. 8. & ita captivis libe-
ratio, & vincētis apertio carceris prædice-
tur, Esa. 61. 1. Sic inveniemus apud eum
requiem animarum, Matt. 11. 29. imò vi-
tam & abundantiam, Joh. 10. 20.

II. Contentibilem equitationem. Addu-
xerunt enim discipuli asinam & pullum,
& eam desuper federe fecerunt. Ita Rex
Sion asino despecto, & mutuo inequi-
tar. Nonne miseræ speculum?

Rex Salomo habebat quadraginta mil-
lia equorum ad præsepia, qui ad currus
jungebantur, & duodecim millia eque-
strium, 1. Reg. 4. 26.

Quàm magnificè & pomposè Cajus *scil. Caesar ipse*
Cæsar, Nero, Antonius aliique Magna-
tes incesserint, ex historiis satis notum est.

Verùm Servator noster, qui super Che-
rubim sedet, Psal. 80. 2. & ambulat super
pennas ventorum, Psal. 104. 3. cui millia
millium ministrant, & decies centena mil-
lia adsistunt, Dan. 7. 10. ecce! asino mutuo
to invehitur. Hoc ipso impletum est,
quod Jacobus de Messia prædixit, quod
pullum suum & asinum asinæ suæ ad vi-
tem ligaturus sit, Gen. 49. 11.

Id legenti quidem absurdum videtur
Quid enim vitis ad asinum? cui cardui ci-
bus sunt, hinc illud Philosophi: Similes
habent labra lactucas. Verùm si Christo
id applicetur, qui è Judæis atque Gen-
tilibus, per asinam & pullum præfigura-
tis, Ecclesiam sibi collegit, eamque firmo

scil. Casar ipse
Non in sum
esse binos
hominum usque
van 40.
sup fante g r g o
q u e v o r d a r
Antony v d a r
g r f a n t e t h e n d e
L o r d e n ; h u r a t e
arg van van
g r o f f e n . A g i n
Heru p f l i g t a b
z i d i n R o m i n
g r i f i s m i t
1000. v d a g r
g r o v o t r o f t a b
f a n d u n d t r e
E r e b e f l a g r
u f a n n . S e f e h y
d o n g i n t e t
p l y a n d e t
E y a n . g o f f e n i n
32
simu v a g r
32
plur g r i f i e t r o n i g e i n g o f f e n i t v a n n .

Evangelii & Sacramentorum vinculo ad se alligari curavit, facillè intelligere possumus, vaticinium de Messia esse, qui asinâ Hierosolymam ingressus est, & pullo, filio subjugalis, intellige alternatim, ita ut in via jumenta mutaverit, & montem Oliveti asinâ vectus adscenderit, deinde super pullo equitans, urbem ingressus fuerit.

Id Veteres allegoricè exposuerunt, & per asinam subjugalem populum Judaicum oneribus Mosaicarum ceremoniarum portandis adsumtum: per pullum autem gentium multitudinem, quæ se posthâc Christo obsequentem præbitura sit, figurari crediderunt. Et ut Christus primum super asinâ, deinde super pullo vectus est: ita Judæis primum oportuit dici verbum DEI, postquam verò repulerunt illud, Apostoli ad gentes se converterunt, Act. 13, 46.

Nos hoc ipso in fide nostra confirmamur, quia audimus, Servatorem nostrum illum ipsum esse, quem sancti Vates, imprimis Zacharias filiæ Sion promiserunt, cum Andrea dicentes: Invenimus Messiam, Joh. 1, 41.

Tertullianus memorat de Paganis quod Christianos in primitiva Ecclesia Asinarios appellarint, in eorumque opprobrium Christi crucifixi imaginem, auribus asininis dedecoratam, passim pinxerunt. Similiter hodierni Judæi inter alia quoque propterea Christum pro Messia agnoscere nolunt, quia super asino equitaverit, qui juxta legem Dei immundus habitus est.

Verum id nos minime offendit. Non enim asinus Messias noster est, sed Christus, qui super asino equitavit.

Cur spectas asinum, cœlestem suspice Regem.

Et Servatori die Osianna tuo. (gem, Dum igitur Servator noster non mulo ut olim honoratiores, Jud. 5, 10. sed asina subjugali in ingressu suo Hierosolytitanæ usus est, agnoscamus hinc, esse eum promissum mundi Messiam, qui onus peccatorum nostrorum in se suscipere, & in montem Golgathæ portare debuerit, Esa. 53, 4. Joh. 1, 29. Hoc si sciamus, sufficit ad cognitionem Messie nostri, in quâ vita æterna consistit, Joh. 17, 3.

III. *Vulgi stipationem.* Quando Magnates terreni ingressum suum celebrant plerumque Procerum & Purpuratorum, nec non militum armatorum catervâ stipati sunt. Verum ejusmodi pompa Servator noster non delectatur. Equum quidem fuisset, ut Sacerdotum & Scribarum Hierosolymitanorum turba Christo obviam processisset, sed factus eorum id non permisit. Iedò simplices hi Piscatores, & alii ex vulgò homunculi vicem eorum subire, & regium ejus ingressum exornare tenentur, quibus multi pueri & puellæ se adjungunt, asinum circumsaltantes, ejusque adventum concentu suo gratulantes, Matth. 21, 15. Hæc puerorum societas vel maxime Domino probatur, qui per laetam eorum fidem, & orationem balbutientem destruit inimicum & satellites ejus, Psal. 8, 3.

Hæc idea Ecclesiæ est, ubi non exterior pompa, sed interior fides respicitur, illa tanquam ornatus spiritualis, soli Deo nota est, qui corda & renes scrutatur, Jer. 17, 10. & agnoscit omnem operam hominis, Sir. 15, 20.

Hæc

Hæc nostra cōsolatio fit, quando impii in mundo florēt, Pl. 73, 5. quod Deus suos cognoscat, 2. Tim. 2, 19. ne unquam à Christo abstrahamur: Veniet aliquando tempus, ubi apparebit, quid sit inter justum & impium, Mal. 3, 18. Quin & nos Servator, tanquam Paradisi exules, quales propter peccata sumus, simul secum introduxit, ut jam cives Sanctorum & domestici Dei simus, Eph. 2, 19. Et quando hîc in tempore gratiæ per verbum & sacramenta illi copulamur, tandem aliquando in Hierosolymam cœlestem introducet nos, ubi cum eo semper erimus, 1. Thess. 4, 17.

Secundo.

Digrediemur nunc ad *secundam partem*, triplicem Medelam ex Evangelio meditaturi, quæ sunt

1. Ex *Christi Omniscientiâ*. Eminus enim asinam videt, & novit locum, ubi alligata est, novit, quod pullum penes se habeat, novit, neminem unquam hominum super eâ sedisse, ut Lucas addit, c. 19. v. 30.

Hæc luculenta sunt argumenta, Regem hunc nostrum Dominum omniscium esse, à cujus oculis nihil quicquam absconditum est, Sir. 40. v. 24. sed omnia aperta sunt, Hebr. 4, v. 13. Videt laborem & afflictionem nostram, Psal. 10. v. 14. numerat fugam nostram, Psal. 56. v. 9. novit sermones nostros in linguâ, Psal. 139. v. 4. novit gemitus & desideria nostra, Psal. 38. v. 10. novit opera nostra, & ubi habitemus, Apoc. 2. v. 13.

Ita vidit Israëlitas in Ægypto pressos, Exod. 3, v. 7. Josephum in carceratum, Gen. 39. v. 2. Eliam in exilio, 1. Reg. 19. v. 4. seqq.

aliosque, quos compendii ergò hæc vice adducere nolumus.

Ex his paucis verò satis apparet, quod pios suos Deus orphanos non derelicturus, Joh. 14. v. 18. sed ubique cum illis in tribulatione futurus sit, Psal. 91. v. 15. quo videant justitiam ejus, Mich. 7. v. 9.

Christus vidit *asinam alligatam*. Ita noli dubitare, si forte catenis vincus sis ut Petrus, Act. 12. v. 6. aut Satanus alligavit te spiritu morbi, ut filiam illam Abrahamæ, Luc. 13. v. 16. aut tantis malis involutus es, ut nescias, quid agere debeas, ut Rex Josaphat, 2 Chron. 20. v. 13. quin Jesus tuus omnia conspiciat, & sicut semper fidelis fuit in promissionibus suis, ita neque te fallat, sed tempestive auxilio suo tibi aderit, teque liberabit ab omni opere malo, 2. Tim. 4. v. 18. aut per mortem dissolvat, & ad se trahet, quod multo magis melius, Phil. 1. v. 23.

Vidit *asinam pullum secum habuisse*. Ita magis te liberosque tuos, quibus te donavit, respiciet. Ecce, oculi Domini super metuentes eum, Psal. 33. v. 17. 18.

Vidit, quod *nullus unquam hominum super asina sederat*. Ita optime ille vires nostras cognoscit.

-- Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Hinc neminem tentari patitur, super id quod potest, 1. Cor. 10. v. 13.

Hæc consolatio tua esto, mi Christiane, quando angustiis & calamitatibus immersus es, nec dubita quin totam tuam miseriam Servator tuus perspiciat. Ardentibus itaque precibus ad eum converte te, & sollicita eum, & exaudiet, & eripiet te, Psal. 145.

v. 19. nemo unquam confusus est, qui speravit in eo, Sir. 2. v. 11.

2. *Ex Christi Omnipotentia.* Ita enim Possessoris asinæ cor flectit, ut ad verba discipuli illicò asinam cum pullo dimittat, & obtemperet. Hic radius fuit divinæ potestatis & gloriæ, quo satis probavit, se non nudum hominem, sed Deum super omnia benedictum esse, Rom. 9. v. 5. qui corda hominum in manu habeat. Prov. 21. v. 1.

Hæc divina Omnipotentia competit ei vi unionis personalis, secundum humanam quoque naturam, hinc ait ipse: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ, Matth. 28. v. 18.

Id quod multifariam in diebus carnis suæ probavit, per varia miracula, quæ in cæcis, mutis, surdis, claudis, leprosis, defunctis quoque probavit, quorum exemplis Historia Evangelistarum redundat. Videtis plura miracula Matth. 8. v. 26. Matth. 14. v. 2. Luc. 5. v. 6. Joh. 6. v. 10. seqq. Joh. 18. v. 16. Hinc, nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum ipso, Nicodemus ipse fatetur, Joh. 3. v. 2.

Non igitur impotentem, sed omnipotentem Servatorem habemus, qui omnibus Creaturis dominatur, & corda quoque movere potest, ne homo faciat, quid cogitet, sed quid Dominus velit, Prov. 16. v. 9. Esa. 8. v. 9.

Ita consilia filiorum Jacob adversus fratrem Josephum, Gen. 39 & seqq. Propositum Bileami, Num. 22, 38. Nebucadnezaris edictum, Dan. 3, 9. inhibuit, & ad bonum finem direxit.

Idem ille Deus adhuc hodie vivit, ideo noli animo cadere, quando gentes fremere & Reges terræ adversus Dominum, &

Christum ejus consultare vides, Psal. 2, 2. quando vaftris consiliis conceptis, eos dicere audis: Venite & disperdamus eos ne sint gens, Ps. 83, 4. Tunc Domino commendas vias tuas, dicens:

Causa tua est, Causam Chrtiste tue-
re tuam.

Sic nunquam periclitaberis, Dominus enim consilia eorum inhibebit, ut ea non possint stabilire, Psal. 21, 12.

Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas,
Manu suâ retractans.

Deum enim diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8, 28.

3. *Ex Christi Clementia.* Quicquid enim ille facit, in nostrum commodum facit, Hinc Propheta: Exulta filia Sion, jubila filia Jerusalem, Ecce! Rex tuus venit tibi iustus & Salvator, Zach. 9, 9.

Hæc magna gratia est, quando inspici-
eimus

1. *Adventantis Encomium.* Regis enim titulo ille insignitur. Lætare hinc mi Christiane! Jesus Rex tuus est, tu subditus ejus, ideo tibi tutelâ suâ patrocinabitur. Non enim solum omnipotens est, Jud. 9, 4. sed lætatur quoque ad benefaciendum nobis, Jer. 32, 41.

2. *Admirabile hospitium,* quod est anima & cor tuum, ideo Propheta ait: Rex tuus venit tibi. Quod quidem proprie de Ecclesiâ Judaicâ intelligendum, tanquam filiâ Sion, cui Messias principaliter promissus fuerat, salus enim ex Judæis est, Joh. 4, 23. Quia vero in propria venit, & Sui eum non receperunt, Joh. 1, 11. ideo paries maceriat medius solutus est, Eph. 2, 14. ut jam nul-
lum

lum discrimen fit inter Judæum & Græcum, Gal. 3, 28. sed quisquis timet illum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10, 34. Id grato animo agnoscēs, dic: Non sum dignus Domine, ut intres sub rectum meum; sed tantum dic verbum, & sanabitur anima mea, Matth. 8, 9.

3. *Singulare beneficium.* Non enim inanis accedit, sed beat credentes suos.

1. *Justitia amiculo.* Ideo Propheta ait, Ecce Rex tuus venit tibi justus, non modo respectu sui, quia est Sanctus Sanctorum, Dan 9, 24. Esa. 53, 9. sed etiam respectu nostri, est enim justus servus Dei, qui in scientiâ suâ justificabit multos, Esa. 53, 11. Unde dicitur Jehova Zidkenu, Deus justitiæ nostræ, Jer. 23, 6. Hæc consolatio nostra esse potest, quando lex nos accusat, & conscientia inquietat ratione peccatorum commissorum. In Domino sunt justitiæ nostræ & robur, Esa. 45, v. 23. Rom. 3, v. 25.

2. *Grato auxilio.* Venit quoque, ait Vates, tanquam Salvator. Noscha in Hebræo est, quod significatione reciproca significat & talē, qui seipsum juvat, & talem, qui salvatus est. Unde LXX. Interpretes per voculam *σωζω* expresserunt. Utrumque ad eum applicari potest, Hebr. 5, 7. Nec minus nobis solatio est, in eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2, 18. ideo ait: Tibi, tibi venit. Tu Christiane! tibi applica inquiring: Seio cui credidi, 2. Tim. 1, 12. 1. Tim. 4, 8.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Mandatum perage.* Hic discipuli non

multum dispuearunt: sed euntes fecerunt, sicut præcepit illis Jesus. Hoc egregium exemplum est, quod nos imitari debemus. Obedientia enim melior victimâ, Sam. 15, 22.

Deus summus noster Magistratus est, cui obstricti sumus

1. *Jure Creationis*, Pl. 100, 2.

2. *Jure Redemptionis*, 1. Petr. 1, v. 18. Tit. 2, v. 14.

3. *Jure Sanctificationis.* In Baptismo enim Diabolo renunciavimus, & contra nomina nostræ libere vitæ inscribi curavimus, ut jam non amplius servi peccati simus, Rom. 6, 28. ideoque nobis pignus hæreditatis nostræ dedit, qui est Spiritus sanctus, Eph. 1, 14.

Propterea mandatum ejus omnibus præferendum est. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, Esa. 1, 19.

Quemadmodum vero discipuli Christi hic animam solvere & Domino suo adducere jubentur: sic adhuc hodie verbi ministri peccata & flagitia reprehendere debent, quo vitiosi ejusmodi homines peccatorum vinculis solvantur, & Christo adducantur. 2. Tim. 4, 2. 2. Tim. 2, v. ult.

Imprimis vero discipuli hi suo exemplo instruunt nos, ne scrupulosi simus in mandatis divinis, sed in Christianâ simplicitate ea perficiamus, nihil dubitantes, quin is, qui præcepit, promissionem suam impleturus sit, tanquam qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, Eph. 3, 20.

2. *Ingressum promove.* Fecit hoc plebecula

1. *Jumentis.* Ubi enim Servator discipulos suos ablegat ad adducendam asinam, statim parati sunt, & herus quoque promte

promte dimittit eam. Ita adhuc hodie Christo in membris suis ministrum, simul quoque cultum ejus de facultatibus nostris promoveamus, quo sermo ejus velociter currat, & Servator apud nos divertatur. Id Servator non incompenſatum relinquet, si vel ſaltem potus aquæ frigidæ fuerit, Matt. 10, 42.

Ad exemplum quoque heri aſinæ libenter mutuo demus iis qui opus habent, ſicut hic diſcipulos Dominus informat, ut dicant: Quia Dominus opus habet. Inveniuntur enim qui aliorum opem non adeo indigent, ſed vel ſimulatione paupertatis, vel avaritiâ ſtimulati mutantur. Illis ſalvâ conſcientiâ denegari poteſt, ne duplicia mala inveniamus in omnibus bonis, quæ fecimus eis, Sir. 17, 6.

Deinde alii ſunt, qui quaſi inventionem æſtillant mutuo ſumtum, nec de ſolutione unquam cogitant, hi cavendi ſunt, ne facultatum noſtrarum jaſturam faciamus, Sir. 29, 4. ſeqq.

Hoc niſi ſit, ipſa æquitatis ratio flagitat, ut commodemus proximo, Pſal. 112, 5. Prov. 19, 1.

2. *Vestiſmentis.* Christo enim ſubſternunt veſtiſmenta, quo commodius equitare poſſit. Hoc ipſo ſignificatum eſt, quod Dominum de ſubſtantiâ noſtrâ honorare debeamus, Prov. 3, 9. quo volupe ſit illi nobiſcum divertendi & perſeverandi. Quicumq; honoraverit me, glorificabo illum, 1. Sam. 2, 30. Sed hodie pauci inveniuntur, qui Christo veſtiſmenta ſubſternant, quin potius ſi alios beneficentiam exercere conſpiciant, ajunt cum Judâ: Ad quid perditio hæc? Matth. 27, 8. Potius veſtiſmenta eidem detrahunt. Alimur de

ſpoliis Ægypti, verba ſunt Lutheri, colleſtis ſub Papatu, & hoc ipſum tamen, quod reliquum eſt, à Politicis quandoque diripitur. Hinc maledictio à DEO dudum intimata conſequitur, Hagg. 1, v. 6. Audi igitur quid Siracides dicat: Da Altiffimo ſecundum datum ejus, Sir. 35, v. 12.

3. *Ramentis,* quæ de arboribus cædebant & ſternebant in viâ.

Ramenta hæc fuerunt

1. *Symbola diligentis.* Veri Chriſtiani arboribus frugiferis comparantur, Pſal. 1, 3. id quod Christo acceptum ferre debent. Ideo viciffim ramos bonorum operum præcidant, & in viâ ſternant, ut ſerviant ei in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo, omnibus diebus vitæ, Luc. 1, 75.

2. *Symbola vincens.* Joannes eos ramos palmarum præciſiſſe memorat, Joh. 12, 13. Hi autem olim ſignum victoriæ fuerunt, ut ex Plutarcho, Livio, aliisque conſtat. Vide 1. Macc. 13, 51. Ideo igitur Christo ramos palmarum prætulere, ut victoriâ ſignificarent, qua erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, & trophæo crucis de Diabolo mortis Principe triumphaturus, ut Auguſtinus ait. Hinc ipſe Joh. 14, 30. Nos quoque vi victoriæ ejus ætæ illud *ἐπιβίβω* canere poſſumus: Mors ubi aculeus tuus? Inferne, ubi victoria tua? 1. Cor. 15, 57. †

3. *Symbola pacem afferentis.* Quia enim de monte Oliveti deſcenderunt, qui ab oleis ita dictus fuit, quæ copioſe ibi creverunt, non dubium eſt, quin & oleæ ramenta præciderint, & Domino ſubſtraverint.

Sicuti igitur olea eſt Symbolum pacis: ita

Ira hoc ipso populus indicare voluit, esse hunc, qui ingressum suum celebret, Principem pacis, Esa. 9. v. 6. qui æternam pacem reducturus sit, quod & præstitit, ut jam orantes canere possimus; Justificati fide pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1. Rom. 8. v. 32.

3. Regem excipe! Hæc in parte populus suo exemplo nobis præit, qui clamat: Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, &c.

Osanna est vox gratulantium, quæ desumpta ex Psal. 118. significat salutem, & respondet communi Hebræorum formulæ, Pax tibi! Lutherus Germ. expressit: O Herr hißß! O Herr laßß wol gelingen.

Sicuti igitur Dominus ingressum suum in multâ populi frequentia celebravit, ita & nos frequentes expectemus quando per verbum & Sacramenta ad nos venit: ipse siquidem clamat: Venite ad me omnes, Matt. 11. v. 28.

Fiat hoc à junioribus & senioribus: audimus siquidem Servatorem non modo a sinâ, sed & pullum sibi adduci voluisse, innuens eo ipso quod pueri ab ineunte ætate verbum Dei & præcepta catechetica discere debeant, exemplo Timothei, 2. Tim. 3. v. 15. Hæc in parte parentes, & patres-matresque-familias exemplo suo iisdem præcant necesse est, quo illi sic vestigiis eorum insistant, & impleantur mentæ discumbentium in regno Dei, Matt. 23. v. 10.

Imprimis vero nostrum erit, Servatori nostro lætum Osanna accinere, eique pro incarnatione suâ gratias agere, quâ nobis adoptionem in filios Dei acquisivit; dedit enim potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, Joh. 1. v. 12.

Quando in Novo Testamento Rex inauguratus, ungebatur, unusquisque clamavit: Vivat Rex, vivat Rex! 2. Reg. 11. v. 12.

Quidni & nos Christo Servatori lætum Hosanna acclamemus, Psallentes: Salvifica quæso populum tuum:

Salvum fac populum tuum Domine.

Et benedic hereditati tuæ.

Et rege eos,

Et extolle illos, usque in æternum.

Id ei perquam gratum erit. Et quem admodum venit tanquam Salvator, ita etiam omnipotenti auxilio suo in omnibus adversitatibus subveniet nobis, & tandem salvos faciet in Regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. Ibidem in gradu excellentiori suavissimum Hosanna insonabimus: Osanna Filio David! Salus ei, qui sedet super thronum Dei nostri, & agno, Apoc. 7. v. 10. Eò nos transferre dignetur Deus Trinunus per
JESUM CHRISTUM, DOMINUM nostrum.

Amen!

178. mit dem weltlichen Geist: Noli triumphare ante victoriam, Nicht aber kann triumph gefagt, als man hat den Sieg erlangt: Darum die christliche Lauffen sollt, sam, es ist noch langweiligt, aber gewisslich erodt. Mit Eiso oder Feur. 20: Triumphis ante victoriam. Als er gen Jerusalem zog, also kam er mit lud in Jerusaleim an, zu beten, ließ er ihn wohnen in Jerusaleim. palm zehrig DOMINGOZONER. D. H. Müllers Geist. Daniel, alkorr. 11. 20. Nicht aber den Sieg, erlangt vor dem Sieg? Ja so muß es sein, er hat den Sieg erlangt, und ist in dem Sieg hat in seinen Ländern.